

„Scripturæ in alterius figuram, in quo universa complentur.“ Heic habes accuratissimam regulam, quam postea pluribus illustrarunt Huetius, Bossuetus, Calmetus, Marchius, Vitringa, Deylingius, alique plures, discernendi præter vaticinia proprie dicta, figuras illas, eosque typos, qui Davidem quidem v. g. aut Salomonem, aut alium quemvis adumbrant oblique, improprie, obscure, & quasi per vim; cum recto, & plano sensu in Christum ferantur.

Pergit Doctor Angelicus *Generationem in Divinis* exponere similibus luculentissimis Revelationis divinæ testimoniis: tum præterea capite 11. *Divinitatem Filii* patefacere, ac Phouianos, Sabellianos, Arianosque errores propulsare, ipsorumque Paganorum, quæ opponebantur, argumenta refellere: quod in sequentibus Capitibus egregie præstat. Methodus hæc toto eo libro constantissime servatur. Hinc vana, ac jure nullo fulta, vetus ea querela Petri de Aliaco in Tractatu, quem contra Joannem de Montesono scripsit circa annum Domini 1388. c. 111. concl. 111. corollar. 1. apud Carolum Duplessium de Argentrè in Collectione judiciorum de Novis erroribus, & apud Launojum in Libro de Varia Aristotelis Fortuna cap. x. *In ipsi arduissimis Fidei articulis*, iniquentis, & humanam rationem transcendentibus, utitur ipse Thomas dicitis Aristotelis, & immiscet ejus Philosophiam doctrinæ fidei, sicut patet cuilibet intuenti: quod præbet occasionem errandi. Hæc instaurata querela à Casimiro Oudino, & Jacobo Bruckero, in peculiari Dissertatione mihi est refutanda.

Humanas rationes, ac Philosophorum dicta frequentius ab Aquinate adhibita, haud sane inficiamus. Cum vero his Thomas usus fuerit, quodve insit eisdem momentum, cum ad supremas divinas veritates exponendas trahuntur, ipse docet Præceptor Angelicus locis plurimis. Insignem affero textum, qui Libro I. operis, de quo agimus, capite v. 111. habetur. „Considerandum, quod res quidem sensibiles, (& creaturæ omnes) ex quibus humana ratio cognitionis principium sumit, aliquale vestigium in se divinæ imitationis retinent, videlicet quod sunt, & bona sunt; ita tamen imperfectum, quod ad declarandam ipsius Dei substantiam omnino insufficientem invenitur. Habent enim effectus suarum causarum suo modo similitudinem, cum agens agat sibi simile; non tamen effectus ad perfectam agentis similitudinem semper pertingit. Humana igitur ratio, ad cognoscendam Fidei veritatem, quæ solum videntibus Divinam essentiam, (altiori lumine gloriæ roboratis,) potest esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquas verisimilitudines colligere, quæ tamen non sufficiunt ad hoc quod prædicta veritas, quasi demonstrative, vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est, ut in hujusmodi rationibus, quantumcumque debilibus, se mens humana exerceat: dummodo desit comprehendendi, vel demonstrandi præsumptio; quia de rebus altissimis, etiam parva & debili consideratione aliquid posse inspicere, jucundissimum est.“ Sapienti, prudentique consilio admissum responderet Opus, quod Aquinas elucubravit.

IV. Amplissima in hoc Opus, quo de agimus, Commentaria scripsit Franciscus Sylvester, patria, & religionis professione Ferrariensis, Magister etiam Generalis totius Ordinis Prædicatorum, anno 1525. electus. Eadem compleverat Auctor, & Clementi VII. Pontifici Maximo nuncupaverat Bononiæ, Kalendis Sextilibus MDXXIV. quo Venetiis impressa fuerit summa diligentia, & expensis Nobilis Viri D. Lucae Antonii Junta Florentini die 10. Octobris fol. Titulus est: *Sancti Thomæ contra Gentiles, cum Commentariis Francisci Ferrariensis Ord. Prædicatorum.*

Hanc ignorasse editionem videtur Jacobus Echarthus, cujus hæc verba sunt in Elogio laudati Silvestri: „Prodiit Commentaria ab ejus morte, (quæ accidit anno 1528.) seorsim, & sine textu S. Doctoris Parisiis 1552. in fol. Lugduni 1567. & Antuerpiæ 1568. postea cum S. Thomæ Operum editionibus generalibus Tomo IX. cum ipsa Summa contra Gentes.“ In Veneta laudata editione, post Ferrariensis Nuncupatoriam, prostat Jo. Baptistæ Egnatii Epistola ad Lectorem, ubi de Aquinatis Opere sic pronuntiat Vir doctissimus: *Quod Opus ad multorum Veterum exemplum conscriptum, sic facile excellit, ut nec Græci, nec nostri, quicumque in hoc curriculo desudarint, conferri cum Divo Thomæ possint.*

Operis editiones alias, quæ typorum beneficio curatæ sunt, nec recensere aut omnes, aut præcipuas licet, nec vacat. Echarthum consule. Typographica menda, quæ præsertim in Venetam anni 1593. editionem Dominici Nicolini irrepserunt, corrigenda proponit Reginaldus Lucarinus in suis in Textum Divi Thomæ Animadversionibus. Laude dignum consilium ejus, ut eadem utentibus impressione præsto forent mendorum correctiones: at pace Viri Clarissimi adnotaverim, aliqua menda non esse, alia correctæ prostrate in adjecto Francisci Ferrariensis Commentario, aliter corrigi posse alia.

Nonnulla profero exempla. Apud Lucarinum, „Libro 1. Capite 85. in fine hæc autem excludit contingentiam. Lege: hæc autem sola excludit.“ Textus sic habet: *Ex voluntate igitur divina non potest concludi in rebus creatis necessitas absoluta. Hæc autem excludit contingentiam, scilicet hæc necessitas absoluta. Quid opus erat voce sola?*

„Libro 2. Capite 2. §. Primo quidem in fin. suæ similitudinis impressam. Alibi: sparsam.“ Textus: *Ex factorum consideratione divinam sapientiam colligere possumus, sicut in rebus factis per quamdam communicationem suæ similitudinis impressam.* In margine: *alias sparsam.* Inutilis ergo Lucarini animadversio.

„Libro 3. Capite 59. §. Hinc est quod dicitur Job 11. sic igitur aliquis omnes rationes rerum creaturarum cognosceret, si cognosceret omnia bona. Alibi: si igitur aliquis omnes rationes rerum cognosceret, cognosceret omnia bona.“ Felicius fortasse mendam sic corriges: *si igitur aliquis omnes rationes rerum creaturarum cognosceret, sic cognosceret omnia bona, quæ in rebus creatis secundum ordinem divinæ sapientie provenire possunt: quod esset divinam bonitatem, & etiam sapientiam comprehendere.* Solidissimam Thomæ doctrinam egregie declarat Ferrariensis in Commentario.

„Capite 71. §. Tollitur etiam: quæ sub providentia Dei bonum locum habere non posset. Alibi: quasi malum sub providentia boni Dei locum habere non posset.“ Textus: *Per hoc etiam tollitur errandi occasio Manichæis, qui duo prima principia agentia posuerunt, bonum, & malum, quæ sub providentia Dei bonum locum habere non posset.* In Commentario Ferrariensis idem sic effertur textus: *Qui Manichæi duo principia agentia, bonum scilicet, & malum posuerunt; quasi malum sub providentia Dei bonum locum habere non posset.* Immo ejusdem Thomæ verba sunt num. 5. præcedente: *non esset locus justitiæ vindictivæ, si delicta non essent.* Et num. 6. *ex malis quædam bona consequuntur ex providentia gubernantis.* Quæ verissima documenta sumpta sunt

sunt ex Augustini libro *de Natura boni contra Manichæos.*

„Capite 81. circa finem: divinam providentiam non excludit, provenit neque per hujusmodi. Lege: provenit enim ex permissione divina ex defectu inferiorum agentium, sicut de aliis malis dictum est, sed neque per hujusmodi.“ Textus: *Hujusmodi autem inordinatio divinam providentiam non excludit; provenit neque.* Lacuna patet, quam typpi errantes fecere. At nihil hiulcum in eodem textu, quem Ferrariensis affert in Commentario: *Ista inordinatio non excludit divinam providentiam: provenit enim ex permissione divina propter defectum inferiorum agentium. Neque per hujusmodi inordinationem totaliter naturalis ordo pervertitur.*

„Capite 116. fin. *Hic igitur est finis totius legislatoris.* Videtur legendum: *finis totus legislatoris.* Immo retinenda videtur vox totius, idest, *omnis legislatoris.* Ferrariensis in Commentario habet, *totius.*

Plura sequuntur menda, quæ corrigenda Lucarinus jubet: sed eadem correctæ prostant in ejusdem Ferrariensis Commentario. „Libro 4. Capite 30. num. 4. *Deus misit Filium suum natum ex muliere.* Lege, *factum ex muliere.* Hæc enim lectio correspondet sequentibus, ut legenti constabit evidenter. „Ad illum Sacra Scripturæ textum ad Galatas Capite 4. vers. 4. varians lectio ab Interpretibus notatur, *factum ex muliere, & natum ex muliere.* Nihilominus priore lectione usum Aquinatem, integer suadet locus ejus: „Idem Apostolus dicit ad Galat. 4. quod *Deus misit filium suum natum factum ex muliere:* & Matth. 1. dicitur, quod *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Non autem vel ex ea factus, vel ex ea natus diceretur, id solum per eam, sicut per fistulam transisset, nihil ex ea assumens: ex ea igitur corpus assumpsit. „Nemo non videt, *factum ex muliere,* legisse Thomam.

„Capite 38. num. 7. de auctoritate inducta ex Cyrillo vide, quæ adnotamus in 3. part. Quæst. 2. Art. 3. *Nempe quasdam vero velut Deo docibiles.* Alibi: *velut Deo dignas.* Ita legitur in Can. 4. Ephesinæ Synodi, unde sententia fuit à S. Thoma extracta. „Corrigere Lucarinus debuisset, *decibiles* al. *dicibiles,* ut loco citato 3. p. habetur. Textus græcus: *tas de ois theoprepis, voces, tamquam Deo & divinæ majestati decentes, convenientes, dignas.* Hunc locum sic indicat Aquinas in hoc 38. Capite libri 4. contra Gentes: *quod est contra sententiam Cyrilli in Synodo Ephesina confirmatam, dicens: & 3. p. Qu. 2. art. 3. & hoc etiam est damnatum, approbante Concilio Ephesino.* Utrobique vere, & apposite: sententia namque sumpta est ex *Anathematismo* quarto S. Cyrilli Alexandrini, in Ephesina Synodo cum cæteris Anathematismis adprobato.

„Capite 85. §. Patet quidem: *In hac autem vita inordinatum & vitiosum est, si quis cibis & venereis utatur propter necessitatem sustentandi corporis, vel prolis educandæ.* Lege: *propter solam delectationem, non propter necessitatem &c.* Ita legitur in veteribus exemplaribus. „Ita etiam legendum esse, colligitur ex Commentario Ferrariensis. Mendum irrepit in textum, errant ac deficiente prælo.

V. Præstantiam Operis satis indicant exoticæ versiones ejus. Hebraicam primo loco memoro, quam Josephus Maria Ciantes, Patricius Romanus, Minervitani Prædicatorum Ordinis Cœnobii alumnus, concinnavit. Typis ea Romæ vulgata est anno 1571. ex Typographia Jacobi Phæi, Andreae filii in fol. sub hoc titulo: *Summa Divi Thomæ Aquinatis Ord. Præd. contra Gentiles, quam Hebraice eloquitur Josephus Ciantes Romanus, Episcopus Marsicensis ex eodem Ordine assumptus.* Liber est typis hebraicis, non punctatis editus, ac latinis, qui sibi è regione in qualibet pagina per columnas geminas divisa respondent. Extant primi libri tres, quartus desideratur.

Græcam versionem præstant Codices MSS. quos adnotat Jacobus Echarthus in Bibliothecis adservari, Vaticana, Regia Parisiensis, Cæsareo-Vindobonensi, Veneta S. Marci, itemque SS. Joannis & Pauli. De Codicibus Bessarionis Cardinalis in eadem Veneta S. Marci Bibliotheca sic habet laudatus Echarthus: *Laudatur idem Opus contra Gentiles græce versum & Veneti inter Libros Cardinalis Bessarionis, Codd. tribus fol. par. papyr. in quorum uno Liber 1. in altero 1. & 11. in tertio tres Libri.* Num integrum Opus hi codices complectantur, Echarthi verba non patefaciunt. Rem clarius manifestat Index, si accuratus quidem sit, qui typpis prodiit Venetiis fol. anno 1740. studio & cura Antoni M. Zanetti Bibliothecæ Custodis, & Antonii Bongiovanni J. U. D. Addiscimus enim, in Cod. CXLV. contineri S. Thomæ Aquinatis contra Gentes *librum tertium*, in Cod. CXLVIII. *librum primum, secundum, & quartum:* & in Cod. CXLIX. *librum primum, & secundum.* Hinc vero integrum præstantissimum opus adservat græce versum Veneta S. Marci Bibliotheca inter Cardinalis Bessarionis Codices.

Non ipsum præstant opus Codices Vindobonenses, sed *Capita* quædam *Miscellanea XLV.* decerpta ex *Libris quatuor de Veritate Fidei Catholice contra Gentiles, & ex ejusdem Thomæ Summa Theologiae.* Consule ipsos Codices à Nesselio recensitos, CCXLIII. num. 4. & CCLVI. num. 4. Primum Caput inscribitur, & incipit, per hæc verba: *Thoma Anchinou (leg. Acquinou) logot tes theias sarcooseos. Antitheseis cata tes theias parousias. Allo te pistei antikeimeesi toianta tina antepagousi te theiasarcoosei. Theos oute sooma estin, oute dinamis en soomati K. T. L. Thomæ Aquinatis Rationes divinæ Incarnationis. Oppositiones contra divinam Incarnationem. Sed qui fidei adversantur, talia quædam contra divinam Incarnationem adducunt: Deus non est corpus, neque virtus in corpore &c.* Decerpta hæc sunt ex Quadragesimo Capite Libri quarti contra Gentes, ubi sic ait Aquinas: *Sed contra hanc Catholicæ Fidei sententiam plures difficultates occurrunt, quæ Adversarii fidei Incarnationem impugnant. Ostensum enim est in Primo, quod Deus neque corpus est neque virtus in corpore &c.* Hinc habeo, Vindobonensibus Codicibus Opus integrum contra Gentes non exhiberi. Fallitur etiam Echarthus qui putat, præfata *Miscellanea Capita* vel priores esse *Questiones Tertie Partis de divina Incarnatione*, vel *Questiones inter Disputatas de Unione Verbi Incarnati.*

Veneta Sanctorum Joannis & Pauli Bibliotheca Codices duos possidet, qui Græcam versionem ejusdem Operis continent. Ambo chartacei sunt, alter numero 27. & alter num. 72. notatus. Librum tertium, & quartum posterior Codex complectitur. Titulos accipe: *Thoma tou sophootatou gegonotos lati nois dydas calou theologias cata ellenou Biblion triton; Thomæ Sapientissimi apud Latinos Magistri Theologiae, Contra Gentes liber tertius. Tou autou Thoma cata è llenou Biblion tetartoon: Ejusdem Thomæ contra Gentes liber quartus.* Integrum utrumque librum græce versum continet Codex.

Libri quatuor extant in Codice priore, ut sequitur. 1. *Tou sophootatou Thoma, tou para romaiois Maitrou tes tieras toon Christianon gegonatos theologias, peri tes en te katholike pistei aletheias, kai cata ainesoon*



